

4 10
DE
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI, DN.

FRIDERICI I.

BOHEMIÆ REGIS, COMI-
tis Palatini Rheni,

*Sacr. Rom. Imperi Archidapiferi,
Electoris & Vicarii,*

Ducis & Marchionis

*Bavaria, Moravia, Silesia,
Lusatia,*

Patris Patriæ optatissimi,
fortissimi, fidissimi,
felicissimo

VRATISLAVIAM

*Silesia Metropolin
ingresu*

DECERMINA VOTIVA

CASPARIS CVNRADI

Phil. et Med. D.

BREGÆ Typis Casparis Sigfridi. A. C. clb lo C XX.

4E1, 214.



Serenissimi ac Potentissimi
Principis ac Domini

**DN. FRIDERICI I. REGIS BOHEMIÆ
ELECTORIS PALATINI, DUCIS BAVARIÆ**

*& Silesiæ, Marchionis Moraviæ
& Lusatiæ, &c.*

FILIO


Illustrissimo ac Celsissimo
Principi ac Domino

DN. HENRICO FRIDERICO

*Comitis Palatino Rheno, Duci Bavarie &c.
Domino suo Clementissimo.*

Sic certò fore sperabam, Celsissime Princeps,
Elysi ut legeres pingvia rura soli.
Ut VRATISLAVIAM pulcellum inibi Urbium Ocellum
Adspiceres, oculis afficeressq; tuis.
Sed non sunt nullæ forsan, Dux inclute, causæ,
Differre hanc talem quæ potuere viam.
Mens igitur devota tibi quæ tradere jus sit,
Hoc tenui visum est misculare libro.
Adventum Regis sunt hæc gratantia Patris
Carmina; sunt animi subdita liba mei

O fausta



80041/4 Cst

O fausta has adeat Rex optimus alite terras!

Et ferat optatæ nobile pacis opus.

Tu verò bonitate DEI, Dux floride, cresce,

Dotibus exhilarans patria regna tuis.

Sic minimus Vatum voveo; sic firmet IOVA:

Sic votis faveas, Regie Phæbe, meis.



EIDEM

CELSISSIMO PRINCIPI

ac Domino.

Edite regali Britonum de sanguine, avita
Virtutis specimen, Religionis amor;
HENRICE ò FRIDERICE novum Patris incrementum!
Regia ò & Matris, Regii Aviæ, decus!
Qualis in Ascanio fuit olim cura Parentis,
Lingveret ut Domino Troica regna novo;
In te nunctalis FRIDERICI est cura Parentis,
Sumit ubi regni sceptrum verenda novi.
Hinc spectatorem Virtutum nempe suarum
Te lateri jungit per loca quæq; suo.
O te felicem tanti Ducis herclè sequentem!
Quem niveis olim fama sequetur equis.
Sic Patrem Regem, Regem comiteris Avumq;
Vt genere augusto, sic geniiq; bonis.
Disperiam, si non regnis te sistat avitis,
Qui patriis factis sistit, IOVA potens.

A 2

Illustris

Illustrissimo ac Celsissimo
Principi ac Domino

DN. PHILIPPO LUDOVICO COMITI

Palatino Rheno, Duci Bavarie. &c.

CLara comes Fratri FRIDERICO mania BRESLAE
Dum fausta ingrederis, Dux LUDOVICE, via
Ecce trias Charitum, Musarum terna triasq;
Adplaudunt junctis, numina amica, modis.
O salve nostris hospes gratisime terris!
Et vultus recrea nos gravitate tui.
Nempe faves nostris pacis ceu tempore castris,
Tempore sic belli commoda nostra foves.
Acclamat Pallas, reliquis sua vota ministrans:
BRESLA novum Numen Martis & Artis habet.

Illustrissimo ac Celsissimo Prin-
cipi ac Domino

DN. CHRISTIANO DUCI ANHAL-
tino, Comiti Ascania, &c. S. R. M.

Regni Bohemie & incorporatarum
Regionum Generali.

ET tu igitur Regi FRIDERICO fidus Achates
Visis ad Elysii dulcia rura soli;
Stirpis Anhaltinae Sol famifer, inclute Princeps,
Ascania o potior luciditatis Atlas!
O quam te magnum Divo cum Rege Dynastam,
Cernere jamdudum nostra BUDORGIS avet!
Scilicet instructum tantis te dotibus effert
Illa volans vasti per loca Fama soli;

Ve

Vt similem fors tibi nominare quis auserit,
Mente animi nequeat nominare parem.
Non mihi sumo tuas curto dare carmine laudes;
Nec satis in laudes est mea Musa tuas.
Hoc tamen & Livor, nolit, velit, ipse fatetur,
Supra homines donis te procul ire tuis.
Nempe simul pacis promotor nobilis audis,
Hinc Pacis Diti Dis ades ipse duci.
Et res cum belli gladiis peragenda cruentis,
Mente Leonina praelia dira subis.
Pro Patria inprimis & Religionis honore
Illustre haut fugitas opposuisse latas.
Bojemi hinc Procures, unitaq; federe regna
Te Generale sibi constituere Caput.
O nove Mars nostris salve, Dux inclute, regnum!
Atq; tuo tremulas ense tuere domos.
Sterne, fuga, Regi qui jurant bella potenti:
Pelle, neca, regnis hostica curda piis.
Sic pia Religio tibi se adpronabit amantem,
Inq; ibit laudes Musica turbat tuas.
Sic vive o Princeps, sic vince, salutifer, hostes!
Sic faveant meritis Jovaeque Rexque tuus.

Illustrissimo ac Celsissimo Prin-
cipi ac Domino

DN. FRIDERICO, DUCI SAKONIAE,
Julia, Clivia & Montium, Landgravio Thu-
ringia, Marchioni Misnia. &c.

A 3

Tc

TE quoq; Saxonicae germen prænobile RVTAE,
 Inclutē dux, Musis viso, adeoq; meis,
 Moenia dum BRESLAE dio cum Rege salutas,
 Atq; Ducum comes is, Dux generose, choro.
 Salve hospes nostris, salve optatissime, terris,
 Illustrans radius Regia cepta tuis.
 Te WITEKINDEAE Virtutis amabile sidus
 Indigirat celebri jam pia Fama notā.
 Te FRIDERICORVM Proavorum gesta decora
 Extimulant similis laudis inite viam.
 Saxonicae RVTAE se florida brachia tollunt,
 Et sperant meritis nomina avita tuis.
 Sic faxit DEVS, atq; DEO sic auspice faxis,
 FRIDRICI Regis, Dux FRIDERICI, comes.
 Sic FRIDERICI ADAE, sanctae pia numina pacis,
 Dirigite in pacis publica cuncta bonum.
 Si reboans Satanas protrudat Erinnyas Orco,
 Et furiis quærat vertere cuncta suis.
 Viribus unitis vos contra audentius ite,
 Vimq; omnem patriis vi removete focis.
 Injustum contra justis qui militat armis,
 Ille DEO tandem Vindice Victor ovat.

Illustrissimo ac Celsissimo Prin-
 cipi & Domino

DN. JOHANNI CHRISTIANO
 Duci Lignicensi & Bregensi, Supremo
 per Vtramq; Silesiam Capitano.

Elysa

ELysia nostra Prasēs, Celsissime Princeps,
 JAN-CHRISTIANE fori gloria, lux Fidei
 Quod fuit in satū, factum; moderante supremo
 PRAGAq; Papales, BREGA aboletq; logos.
 Nempe die, quo natus homo satus ille JEHOVA,
 Huic modo & huic solito Cæna peracta fuit.
 Scilicet & Regi, Tibi Pro-Regiq; placuit
 A CHRISTI ritu cedere porro, fuit.
 Verum bis-senis panem dedit ille ministris;
 Pro vero nebulam sed Papa pane dedit.
 Fregit is hunc; fregit simul hunc Ecclesia prima;
 Schismatis hunc frangens cogitur esse reus.
 Blateret hic; hic damnet opus memorabile CHRISTI
 Istius at iussis morigerum esse decet.
 Sic sacito cum Rege novo, Dux inclute, porro,
 Et remove à templis talia vana tuis.
 Rumpatur Satanas, fremat Orbis, frendeat Orcus:
 Decedent laudi nulla minuta tua.

Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Domino
 DN. CHRISTIANO, CHRISTIANI
 Fil. Principi Anhaltino, Comiti
 Ascania, &c.

CHRIST-IANI Natum Te, Dux CHRISTIANE, Parentis
 Insimul & Musis jure saluto meis;
 Regia dum BRESLAM vestigia ponē secutus
 Fausta jubes votis esse agitata tuis.
 Audiat Omnipotens, & Regia gesta secundet,
 Ejus ut in laudes & bona Patriæ cant.

Audiat

Audlat omnipotens & me pia vota ferentem,
(Vota referre tibi mens mea quippe jubet;)
Vt Virtute tua meritisq; ingentibus auctus
Lumen Anhaltinæ sis, columenq; Domûs,
Mars piter hoc spondet, Iovis orta q; Diva cerebro,
Ille suis armis, artibus ista suis.
Dux præiit, Genitor Celsissimus, inclutus Heros,
Quemque stupet Mavors, quemq; Minerva stupet.
Sed tibi jam Laurum Pallas, niveasq; quadrigas
Mars sacrat: adplaudit Gloria; Fama probat.

*Perillustri, verè Generoso & Magna-
nimo Heroi ac Domino*

DN. HENRICO MATTHÆO COMITI
& L. B. à Thurn, in Wilisck & Loschdorff &c. Sac.
Reg. Majest. in Regno Bohemiæ Consiliario, Burg-
gravio Carlsteinensi, Marchionatus
Moraviæ Generali.

TVelut è turri spectans discrimina mille,
Nominis ostentas sensa profunda tui.
Illustris Comes, arata Dux inclute turma,
Pro Bojis alacri quæ gerit arma manu.
Scilicet effusi tot sanguinis imbribus ante
Debuit acquiri Religionis opus.
Jovæ det, ut vestro, superatis hostibus, ausu
Explicit auratas illa subinde comas.
Sic spondet celum, FRIDERICO regna tenente,
Quem Deus adstis Cætibus ipse tulit.
Inclute perge COMES justumq; piūq; tueri,
Es Patriæ fidam da, velut antè, fidem.

Ominor

Ominor hoc omen; de turribus effere altis,
Momina promeriti vivida Fama tui.

*Perillustri ac verè Generoso
Heroi ac Domino,*

DN. JOHANNI ALBERTO COMITI
à Solms, &c. Sacra Reg. Majest. in Regno
Bohemia Camerario & Supremo
Aula Præfecto.

Qui comes Inviictum sequeris, COMES inclute, Regi
Et sanctum munis corpore et ense latus;
En tibi, quæ Divo malè-comia carmina Regi.
Et vatis pietas, & dare jussit amor.
Ingressus Regis felix fiet, atq; regressus:
Sit tuus hic talis, sit reliquæq; manûs.
Mitescant, dio qui Regi extrema minantur,
Aut pereant vestra perdita corda manu.
Hæc animi mens una mei est, hæc clausula voti:
Firmet id, atq; tuam firmet Iovæ manum.

*Perillustri, verè Generoso & Magna-
nimo Heroi ac Domino,*

DN. ERNESTO COMITI & MANSFELD,
Domino in Heldrungen, Electorum Principum ac Statuum Vni-
torum, ut & ducis Sabaudia militiæ Præfecto, ac Regni
Bohemia Generali.
Ipse Illustris Comes de se.

B

Ringere

Ringere cum Papâ, medio qui vertice rarus :
Nostrâ Pilsenâ est firma subacta manu.
Virgo fuit semper ; mediâ tamen illa diei
Parte, suâ turgens virginitate labat.
Victa jacet ; Campi Vir sum victorq; novelli :
In gremii medio Virginis huius ovo.

Ad Illustres, Generosos & Magnificos
REGNI BOHEMIÆ Procures.

DVm pia pro vestro FRIDERICO dedico vota,
Qui vestris datus est Rexq; Paterq; focus ;
Vos Procures Regni, patriz pia pectora terræ
Addecet & votis participare meis.
O passi mala multa malis à civibus antè,
Quos rexit technis Papaq; Disq; suis !
Nunc tandem vosmet rebus servate secundis,
Sperantes vestro prosperiora solo.
Nomine quod Rex hic, id percipit esse reapse,
Ardentes alii dum modo pacis erunt.
Bella tamen, si bella volent Eris improba & Ate,
Non reuuet gladio continuare suo.
Mens infracta, manus sceleratos fortis in hostes,
Auspice suscipiet prælia quæq; DEO.
Mens invicta, manus nulli cessura Tyranno
Vindice vincet item prælia quæq; DEO.
Sed tu, IOVA potens, tu pacis amabile Numen,
Adfere ô ! et Regem, quæso, tuere novum.
Da pacem, qui bella volunt, contunde potentes,
Et dominum populi te perhibeto tui.

Sic

Sic nomen roburq; tuum, virtusq; vigeant,
Et gentes inter laus tua perpes erit.

Illustri & Generoso Domino.

DN. WENCESLAO WILHELMO LIB.
BAR. à Ruppowa, in Ternowano & Zitenitz &c.
Supremo Regni Bohemiæ Camerario &
Cancellario.

DAnte hominum turbâ Tibi, Cancellarie, libros,
Quæis causæ promunt subdita sensa suæ ;
Unâ ego te tenui numerorum fasce saluto,
Quem Regi visum est exhibuisse pio.
Nempe inter gravium molimina grandia rerum,
Tu quoq; Musarum volvere sacra soles.
Fac ita, vir Generose, measq; admitte Camenas,
Quæ nil, nî Regi dant pia vota novo.
Supplicibus possem tibi probra referre libellis,
Quæ peperit sanctæ Relligionis amor :
Sed curis tot parco tuis, quas publica causant,
Atq; meæ causæ nomina credo DEO.
Injustum justo dubiè haut is puniet omne
Tempore, & adfectos adleret ipse suos.
Hoc ita dum voveo, simul & tibi comprecor isthoc,
Bojemi ut Regni sis Cynosura diu.

B 2

Illustri

Illustri ac Generoso Domino

DN. CHRISTOPHORO BURGGRAVIO

DOHNA, &c. Sac. Reg. Majest. in Regno
Bohemiae Consiliario intumo.

DONNAVI antiquo majorum sanguine clare;
Artis item & fama clare nitore tua.
Quam voves, & votis iterumq; iterumq; solutis
Pescit inoblitis patria fessa malis;
Ut post exactos pluviosos temporis imbres
Rideat auricomis Phœbus ab arce comis.
Ut post adflictas Patria res, auspice CHRISTO,
FRIDRICUS nobis Rex fiet atq; Pater.
At bene! jò rutilus rediit post nubila thæbus:
Rex, Pater & Tutor jam FRIDERICUS adest.
Exsultum bello Pax alma minatur & armis,
Spesq; animos dulci firma quiete fovet.
Sic Regi fiat; Regnis sic fiat avitis:
Sic fiet votis sat, BARO magne, meis.

Illustri ac Generoso Domino

DN. ABRAHAMO BURGGRAVIO

à DOHNA &c. Electoris Brandenburgici
Consiliario intumo, Ejusdemq; uti & Principum
ac Statuum Silesiae, Equestris mi-
litia Ductori.

Vectus

VECTUS quo Rex dius adit, DONNAVE Dynasta
Cujus ob adventum Silesias omnis ovat.
Sancta Fides, hilaris Clementia, cauta Potestas,
Sacrum præcingunt indeq; & inde latus.
Hinc sperant omnes & corde favente precantur,
Vernet ut hoc tanto Præsidi vera salus.
His ipsis votis mea Musa operosius instans
Et sua devoto pectore vota dedit.
Audiat hæc Regum Rector, Rex ipse IEROVAA!
Tu verò huic renui, quæso, faveto lyra.

Magnifico, Nobilissimo atq; Am-
plissimo Viro,

DN. PETRO MULLERO de Mühlhausen, &c.
Regni Bohemiae Vice-Cancellario.

QUOD multi jaçant, atavorum nomine tute
Et generis recitas ordia jure bono.
Quod pauci meruere, tuâ virtute niteſcens
Majorum exanges nomina honore novo.
Non frustra sunt visa tibi tot regna, tot urbes;
Non frustra, linguas tot didicisse, fuit.
Non frustra, coluisse DEUM pietate, tulisse
Auxilium Patria consiliumq; fuit.

B 3

Hoc

Hoc tanto inprimis furibundi turbine mundi,
 Nulla ubi Religio, nulla ubi penè fides.
 His meritis meritis Patriota es dèigma fidelis,
 Et fidei data sunt munia summa tua.
 Regni Bœmiaci Vice-Cancellarius audis,
 Et genio versas quaq; profunda tuo.
 Dextcritas, Candor, multa experientia rerum,
 Te Regi & Patria jungit amore tua.
 Sic verna, MULNERE, diu, sic fortiter urge,
 In Patria & Regis qua valitura bonum.
 Sic tibi sic generi magmenta parabis avita;
 Sic recinet laudes publica fama tuas.

IESU CHRISTO
 Adsertori meo unico.

Cor altare meum est; tu Lumen es, optime Iesu:
 Templum itidem cor est; tuq; in eo effigies.
 Et tamen effigies, altaria, lumina, templa,
 Spernere me livor perniciosus ait.
 Livor abesto: mihi tu lumen es, effigiesq;
 O ara! ô templum sim tibi porro, dato.

AD

AD DEUM OPT. MAX.

De Climactere septimo, quem 9. Octobr.
 A. C. 1619. Auctor (ô feliciter!)
 est exorsus.

Climacter, Deus alme, mei jam septimum avi
 Incipit; auspicio fiat ô, opto, bono!
 Si superare voles annum me forsan & istum,
 In laudes abeat da, Deus, oro, tuas.
 Sin itiner carnis me iusseris ire caduca,
 Velle etiam admittam pectore orante tuum.
 Seu vivam, moriarve, tui sum portio Nati,
 Retribuit vitam qui mihi morte suâ.
 Natus ubi, qui natus homo pro crimine mundi,
 Post vitam hanc vitâ celite fungar ibi.
 Interea Natos, mihi quos, Pater alme, dedisti,
 Commendo cura, cum genitrice, tua.
 Immemor esse sui mater queat improba Nati,
 Tu verna non quis immemor esse tui.



1620 Febr 25

4/.

Barthol. Eberhard.

5

Leonum Confederatio,

Oder

Löwen Bündniß:

Zu Lob/ Ehren und Christlicher

Gratulation:

WIT: und Unserer Newen Könige:

Im Durchleuchtigsten/

Großmechtigsten Fürsten und Herrn/

Herrn REX DEUXIEN

dem Ersten/

Freierwehitem und gekröntem Könige zu

Böhemb/ Pfaltzgraven bey Rheyndes Heiligen Rö-

mischen Reichs Erbschencken/ Erbtuchsen und

Churfürsten/ Herzogen in Bayern/ Marggraven zu

Mähren/ Obristen Herzogen in Ober und Nie-

der Schlesien/ Marggraven zu Lausitz/ Bra-

ven zu Veldenz und Sponheimb.

Auff Ihrer Königl. Maytt. Einzug/ in die Hauptstadt

Breslaw in Schlesien/ den 25. Februar.

Anno 1620.

In demütigster/ gehorsambster Unterthänigkeit/

offeriret von Bartholomæo Eberhardo, Von Gör-

litz/ Scribenten und Deutschen Poeten

in Breslaw.

Gedruckt zu Breslaw/ durch

Georgium Baumann